

in Galliam redeundi fecit. Duas in naviculas infelix turba imponitur, quarum una cursum in Galliam rectâ dirigeret; altera cum aliquot Anglis solveret in Virginiam, inde Franciam petitura. Hanc PP. Biardus & Quintinus, illam P. Maffæus, & Sauffæius concenderunt. Utriusque fors longè dispar fuit. Quæ Sauffæium & P. Maffæum vehebat dum oram marinam legit, annonâ, nautis, armamentis destituta, incidit in geminas naves redditum in Galliam adornantes. Jungit se illis læta, cumque suis vectoribus Maclovium, Britanniæ Aremoricæ oppidum, paucis diebus tenuit.

Interim Argallus, classis Anglicæ præfectus, Patres Biardum & Quintinum deducturus in Virginiam, ut constitutum fuerat, paululum iis præivit cum sua navi prætoria. Virginiam obtinebat Anglus ferox, nomini Gallico, ac Societati nostræ [325] perinfensus. Ubi adventare Jesuitas audivit, vociferatur perdendos homines improbissimos, busta pietatis ac religionis. Argallus contra nitebatur, seque vivo nihil molestiaæ damnive Patribus inferendum affirmabat: hanc enim ipsis dederat fidem; & regium diploma, cuius auctoritate colonia Gallica in Novam Franciam deducebatur, protulit. Hoc diplomate inflammatus homo furiosus, exturbandos è Nova Francia Gallos clamat. In hanc fententiam Angli proceres iverunt. Jubetur Argallus viam remetiri; Gallos, quicumque supereffent, ejicere, domicilia evertere, & æquare solo. Rediit: arces in ora Canadensi extructas incendit, omnia delevit, ac